

colligendi in vnā summam, vt habeatur primus numerus in regula trium. Tertium autem locum occupabunt singuli numeri producti ex multiplicatione pecuniæ cuiusque in suum tempus, collocato rursus lucro, vel damno communi in medio loco. Id quod in exemplis manifestum erit, quorum primum hoc sit.

Quæst. 1.

1. Quatuor mercatores, inito consortio, lucrati sunt in nūdinis quibusdam 6000. aur. Primus autem illorum contulit tantum 60. aur. secundus 100. tertius 120. & quartus 200. In quæstionem iam vocatur, quid quisque ex illo lucro accipere debeat, habita ratione pecuniæ, quam exposuit. Ante omnia colligenda est summa ex omnium pecunijs, quæ est 480. aur. Deinde quater instituenda est regula trium hoc modo. Si 480. aurei (quæ est pecunia ex omnium pecunijs collecta) lucrati sunt 6000. aur. quid lucrabuntur 60. aur. quid 100. quid 120 & quid 200. quos singuli posuerunt? veluti hic apparet.

Aur.	Lucr. aur.	{ Aur. }		{ Lucr. aur. }
480.	6000.	{ 60? }	} fiunt	{ 750. Pri. }
		{ 100? }		{ 1250. Secū. }
		{ 120? }		{ 1500. Tert. }
		{ 200? }		{ 2500. Quar. }
				—————
				6000.

Facta operatione, vt præcipit regula trium, reperies, primum debere accipere 750. aur. secundum 1250. tertium 1500. & quartum 2500.

Examen